

tempore de Musica aliquid scripserunt. Nec enim, quæ à tantæ autoritatis Musicis tradi-
ta & tanto temporis spatio approbata fue-
rant, erroris insimulare ausi sunt: & fortas-
sis, quod proportionum doctrinam ignora-
rent, fontes Musices consulere non potue-
runt. Quanquam interim non pauci fue-
runt, quibus de consonantiarum hujusmodi
imperfectarum formis aliquid contra vete-
rum sententiam oboluit. Donec tandem Jo-
sephus Zarlinus secutus ducem naturam &
artem veras consonantiarum atq[ue] adeò o-
mnium intervallorum formas in suis legiti-
mis proportionibus, secundum certissima re-
rum Musicarum veteres, auditum scilicet
& rationem, nobis monstravit. Etsi autem
de eadem hac re superius quedam monui-
mus: tamen quedam hic repetemus.

Primum enim cùm vera deprehendisset,
quæ Pythagoras statuit de perfectione con-
sonantiarum, quarum formæ & qualitati pro-
xime essent, & in quaternario contineren-
tur, eas sibi retinuit, Diapason scilicet in du-
pla proportione, Quintam in sesquialtera,,
Quartam in sesquitertia, Disdiapason in
quadru-